



Universitätsbibliothek Paderborn

Cvrsvs Theologici ...

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et
Varietas Patitvr ...

Quas Prima Pars Et Prima Secundæ Divi Thomæ Complectvntvr -
Qvæstiones Insvper Ad Mores & praxim spectantes, quæ peculiarem cum
Scholasticis habent connexionem, declarantur

Carleton, Thomas Compton

Leodii, 1659

Dispvatio LXXXIV. De affectionibus & proprietatibus beatitudinis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13718

vidimus Sectione præcedente, conclusione tertia, vita æterna, seu beatitudo dicitur cognitio Dei, quod de cognitione patriæ, seu visione beatificâ intelligit S. Augustinus, & alii, ut loco citato fufius ostendimus.

VII. Si quis verò beatitudinem constituat in perfectissimâ conjunctione cum Deo summo bono & ultimo nostro fine, tunc cum Suario & aliis dicere poterit amorem ingredi essentialem conceptum beatitudinis, eamque non visionem tantum includere, sed amorem amicitie erga Deum.

VIII. Nec refert (si quis hoc modo procedat) quod amor in prioritate aliquâ naturæ sequatur visionem, hæc enim subordinatio non obstat, quo minus duo, inter quæ similis reperitur subordinatio, possint esse de essentiâ alicujus rei: sic in compositis materialibus materia prima est prior naturâ, quam forma substantialis, utpote causa illius materialis, quarum tamen utraque simul constituit essentialiam illius compositi, ignis exempli gratiâ: sic in accidentalibus, calor & reliquæ

primæ qualitates sunt priores aliis, omnes nihilominus constituere simul possunt unam dispositionem & temperamentum respectu alicujus elementi vel mixti: sic similiter in supernaturalibus, fides & charitas sunt necessariæ ad justitiam vel beatitudinem viæ, charitas nihilominus (quæ tamen in viâ est præcipua in hoc temperamento supernaturali) supponit fidem.

In rebus itaque iis, quarum essentia constat ex proportionibus plurium, nihil est quo minus una pars essentia supponat aliam. Idem ergo contingere potest in præfenti, sicque licet amor sequatur ad visionem; nihilominus tam hæc quam ille constituere potest unum conceptum essentialem beatitudinis, cum sine amore non intelligeretur omnino completa & perfecta unio cum Deo fine ultimo. Certè in omni sententiâ amor ille beatificus haberi debet perfectio quædam primaria, & complementum substantiale beatitudinis, qui nimirum si desset, conferretur beatitudo, valde imperfecta, ac diminuta.

IX. Quo pacto tam visio quam amor illam consequitur, unam constituere possint beatitudinem.

DISPUTATIO LXXXIV.

De affectionibus, & proprietatibus Beatitudinis.

SECTIO PRIMA.

De nonnullis quæ Beatitudinem consequuntur.

I. De essentiâ vera beatitudinis esse perpetuam.



UÆRES primò utrùm perpetuitas sit de essentiâ beatitudinis. Respondetur affirmativè, tum quia S. Thomas hic q. 5. id affirmat, qua de causâ negat S. Paulum & Moysen quamvis Deum ad

tempus viderint, fuisse per visionem illam beatos. Deinde beatitudo perfectæ ejusmodi esse debet, quæ omnem tollat anxietatem, & sollicitudinem, qualis non foret illa, quæ finem aliquando esset habitura, ut ostendi Disp. 10. de Animâ, & in Prometheo Christiano Disp. 14. cap. 3. unde & perpetuitatis hujus cognitionem existimo esse beatitudini perfectæ essentialem, ut loco proximè citato ostendi: Ad quod appositè S. Augustinus: *Beatitudo vera non est, inquit, de cuius æternitate dubitatur.* Utrùm autem beatitudo nostra de factò futura sit perpetua, dicitur in fine sectionis quartæ.

Perpetuitas etiam hujus cognitio est de conceptu perfectæ beatitudinis

S. Augustinus.

II. Visio beatificans respectu objecti primarii est pure speculativa.

Quid ad cognitionem practicam requiratur.

Quæres secundò: visio beatifica utrùm speculativa sit an practica. Respondetur respectu objecti primarii, nempe Dei, absque dubio esse pure speculativam, cum ut sic versetur circa rem non operabilem à cognoscente. Dices, ut sic excitat amorem, ergo est practica. Contrà: ergo nulla, aut fere nulla cognitio est quæ non sit practica, cum nulla omnino vel fere nulla sit, quæ excitare nequeat ad amorem vel delectationem aut odium rei cognitæ, vel ad dolorem de illius præfentiâ aut absentia. Ad rationem ergo cognitionis practicæ non sufficit, quod quomodocumque moveat ad opus, sed præstare hoc debet per modum artis, vel ideæ, representando scilicet rem ad cuius affectionem movet, eamque habendo pro objecto. Circa objecta autem secundaria esse

poterit vel speculativa vel practica, secundum naturam objectorum, quæ representat, prout scilicet fuerint, vel non fuerint operabilia à cognoscente. Plura hæc de re dixi supra disp. 18. sect. 10. num. 7. & octavo.

Quæres tertio: Sine visio beatifica necessaria, & an etiam amor sit necessarius eam consequens. De visione communis omnium sententiâ est, esse necessariam. De amore negat Scotus cum suis, qui eum asserunt esse liberum, & consequenter beatos ab eo cessare posse. Dicendum tamen cum S. Thoma hic, q. 4. art. 4. & Thomistis communiter, amorem beatificum esse omnino necessarium. Idem tenet Suarez 1. 2. disp. 9. sect. 1. num. 9. licet putet mentem S. Thomæ non esse hæc in re ita manifestam de necessitate quoad exercitium, sed explicari posse de necessitate quoad specificationem.

Ratio est quia ut bene Suarez num. 14. Deus est bonum infinitum, ergo quando clarè, & ut in se est, videtur, habet vim infinite movendi, & consequenter ita attrahet, ut non possit voluntas stare ad resistere seu illum non amare; cum etiam in rebus creatis constet, bonum, quò majus, eò fortius movere voluntatem. Confirmatur, Deus siquidem necessariò amat se, & suam bonitatem, estque ad hunc actum omnino determinatus, ergo voluntas creatâ clarè videns eandem bonitatem, non potest in eam amando libera esse, & indeterminata. Non est ergo voluntas libera ad non amandum nisi ea tantum bona quæ apprehendit levia, vel malo aliquo admixta. Vitandum nihilominus aliud extremum Henrici & aliorum dicentium eos, qui clarè vident Deum, ita necessariò eum amare, ut nec divinitus impediri amor possit: hoc enim planè sine fundamento asseritur.

Hinc infero primò, Deum non posse beato præcipere ut eum non amet, vel ut ab amore cesset. Secundò si Deus maximo aliquo damno beatum afficeret, adhuc eum amaret, licet simul doleret.

Visio respectu objectorum secundariorum est pure speculativa, pariter practica.

III. De visio beatificæ, & amor eam consequens est necessarius.

IV. Bonum infinitum clarè visum necessitate movet sui.

Quamvis res cognita non necessitent ad amorem.

V. Inferuntur varia circa necessitatem amoris beatifici.

doleret, de pœnis inferni, exempli gratiâ, si eas pateretur, sicut modo animæ in Purgatorio eum amant, & nihilominus dolent, & Christus de suis etiam pœnis doluit. Tertio infero hoc titulo beatum esse impeccabilem, ut cum communiore sententiâ contra Scotum ostendit Suarez hic, Disp. 20. sect. 1. num. 10. Ratio est, implicat enim ut quis simul amet Deum super omnia, & ipsum velit offendere, seu aliquid præstare, quod ei videt esse ingratum: amor siquidem vel est formalis vel (si quis fingat casum quo nulla in eo videatur creatura) virtualis saltem referentia omnium ad Deum, utpote perfectissima ad illum adhæsiō, & summa appetitio divinæ bonitatis, erga quem ita per amorem omnem perfectum afficitur, ut in actu primo parata sit voluntas illud omne fugere, quod Deo ingratum esse postea viderit.

Amor beatificus excludit à beato potentiam peccandi.

SECTIO SECUNDA.

An in patriâ maneant scientiæ in hac vitâ acquisitæ. Quædam etiam de gaudio, & delectatione beatorum inquiruntur.

I. Manent in patriâ scientiæ naturales in viâ acquisitæ.

Tam boni quam damnati verum in hac vitâ gestarum recordantur.

II. Nullum est inconveniens, ut habitus scientiarum maneant in cælo.

Gratia non destruit, sed perficit naturam.

III. Amor beatorum & gaudium de beatitudine statum illum nullò modo dedecet.

QUÆRES quartò utrùm in patriâ simul cum visione beatificâ maneant species intelligibiles, & scientiæ naturales hic in viâ acquisitæ. Negat Albertus in 3. Disp. 33. communis tamen sententiâ affirmat cum S. Thoma 1. 2. quæ etiam opinionem sequitur Suarez 1. 2. Disp. 8. sect. 2. Ad hoc confirmandum facit, quod communiter à Theologis dici solet, nempe conservari in patriâ memoriâ eorum quæ in via gesta sunt, quæ est doctrina Sancti Gregorii, lib. 4. Moralium cap. 42. ubi hoc modo explicat verba illa Isaiæ 63. *Oblivioni data sunt angustie priores*, id est, inquit, S. Gregorius, erit oblivio præteritorum malorum, non ut non cognoscantur, sed ut non contritent: sicut e contra in damnatis manet memoria rerum præteritarum, ex qua magis cruciantur, juxta illud Lucæ 16. v. 24. *Recordare quia recepisti bona in vitâ tuâ, & Lazarus similiter mala.*

Deinde, nullum est inconveniens, quòd actus & habitus scientiarum naturalium, qui sunt evidentes maneant in patriâ (quidquid sit de opinionibus) cum nullam includant imperfectionem, illi statui repugnantem, juventque ad easdem res variis modis cognoscendas, in quo nulla est superfluitas: ut dici solet de variis scientiis, quas communiter statuunt Theologi in anima Christi. Tandem gratia non destruit, sed perficit naturam. Quo sensu dixisse videtur S. Hieronymus in epistola ad Paulinum: *Discamus in terris, quorum scientia nobis perseveret in cælis*. Modus tamen operandi harum specierum & habituum diversus erit in patriâ, ab ea quam habent in viâ; ibi enim operabuntur independenter à phantasmatis, à quibus hic dependent, ut optimè declarat S. Thomas loco citato.

Quæres quintò: an beati necessariò ament suam beatitudinem. Sermo est de amore concupiscentiæ, tam respectu beatitudinis formalis, visionis scilicet, quam beatitudinis objectivæ, nempe Dei, non quatenus est in se bonus, & habet suas perfectiones intrinsecas (sub quo conceptu spectat ad amorem amicitia, de quo supra

diximus) sed quatenus est nobis bonus. Et fanè non est cur quisquam hunc actum putet dedecere statum beatitudinis, est enim honestus, rectæque rationi, & naturæ inclinationi inprimis consentaneus: unde sicut actus spei, quo quis in viâ Deum sibi desiderat ut bonum suum & aliquando possidendum, est actus supernaturalis & honestus; ita & in patriâ actus quo gaudet beatus se jam Deum possidere, est bonus & honestus, nec statum illum ullo modo dedecens.

Existimo itaque hunc etiam amorem seu gaudium de Deo possessio, suppositâ clarâ illius visione, esse beatis necessarium, cum per se loquendo nullum bonum tantum moveat ac proprium, nam ut ait Aristoteles 9. Ethicorum cap. 4. *Amabile bonum, unicuique autem proprium, & amabilia ad alterum sunt ex amabilibus ad seipsum*. Addit tamen Suarez hic, disp. 9. sect. 2. licet non possit beatus pro eo instanti quo Deum clarè videt ac possidet, non hac de re gaudere, in quibusdam tamen circumstantiis posse illum velle carere beatitudine etiam perpetuè, si scilicet ei Deus revelaret hanc suam esse voluntatem.

Ait ulterius Suarez posse Deum hujusmodi actum beato præcipere: licet enim inquit, nullâ factâ suppositione extrinsecâ, non possit quis velle non esse beatus, cum beatitudo sit summum hominis bonum, in omnibus tamen circumstantiis, non est simpliciter maximum bonum super omnia diligendum; magis enim amandus est Deus secundum se & propter se. Unde hoc modo posset quis propter Deum velle carere Deo & beatitudine, seu Deo viso, amore charitatis vincente amorem concupiscentiæ. Secundò inquit, potest quis ad tempus velle carere visione Dei, ut postea cumulatiùs eandem recipiat, si nimirum transeunter eum videret, quo modo Deum multi putant à Moyse in hac vitâ, & à Sancto Paulo visum fuisse, & si à quoquam, omnium maxime à Virgine Matre.

IV. Gaudium de Deo possessio, seu de beatitudine, est beati necessarium.

V. Possit quis velle carere Deo propter Deum, amore charitatis vincente amorem concupiscentiæ.

Videtur posse beatus velle non videre Deum ad tempus.

SECTIO TERTIA.

Quodnam sit objectum gaudii seu delectationis beatorum.

QUÆRES sextò: Utrùm gaudium illud & delectatio beatorum sit de Deo solo, an de visione solâ, an de utrisque simul: primum affirmat Cajetanus, secundum Durandus: Tertium tamen videtur probabilius: ita Suarez hic disp. 9. sect. 3. Vasquez disp. 15. & alii communiter. Ratio est: nam de illo obtento in cælo gaudemus, quod antea tanquam præmium & finem desiderabamus, sed id quod tanquam præmium & finem desiderabamus nec erat solâ visio, sed Deus ipse qui est summum nostrum bonum juxta illud, *Ego sum merces tua magna nimis*: nec etiam erat solus Deus, seu secundum se, sed videndus: quare ex utroque sine, nempe *qui, & quo*, id est re possessâ & illius possessione, ut in aliis, coalescit unus finis integer & totalis, de quo proinde, & in quo gaudere solent omnes, & delectari.

Unde, ut bene notat Vasquez citatus, cap. 4. num. 18. & 20. alio modo se habet visio Dei respectu amoris amicitia, quo beatus eum amat, & respectu delectationis seu amoris concupiscentiæ, quo gaudet de Deo & bono suo jam possessio, seu quo gaudet se esse beatum, respectu enim primi affectus visio solùm est conditio, nec enim amamus

I. Gaudium & delectatio beatorum nec est de Deo solo, nec de visione solâ, sed de utroque.

II. Visio beata est objectum respectu amoris amicitia, de Deo possessio.

SECTIO QUARTA.

De dotibus animæ & corporis gloriosi: ubi an Sanctorum beatitudo sit futura perpetua.

amamus visionem, per illum affectum, sicut quando amicum diligimus aut rem aliam quamcumque, non amamus cognitionem qua rem illam representamus. At vero respectu secundi affectus, visio non est tantum conditio, sed objectum, amamus quippe Deum ut nostrum; seu ut possessum; sicut qui amat agrum vel equum, ut possessum, non illos solum amat, sed illorum possessiones; visio autem est possessio Dei, ut diximus. Quemadmodum per affectum spei, quo speramus, vel desideramus videre Deum, non tantum erga Deum afficimur, sed etiam erga visionem ut obtinendam, & consequenter erga eam in Cælo afficitur beatus, ut obtentam.

Amat Beati Deum ut possessum; ergo amant possessionem, nempe visionem.

III. Quamvis Deus secundum se non possit esse objectum tristitia, potest tamen esse objectum delectationis.

IV. Dices Secundò cum Cajetano: delectatio hæc est beatifica, seu de beatitudine, sed non de formali, ergo de solâ objectivâ; formalis autem beatitudo, seu visio est tantum conditio illam applicans: minor, in quo est difficultas probatur, visio enim ut delectet debet cognosci, delectatio enim hæc est actus voluntatis, nihil autem volitum quin & percognitum, ergo. Respondeo primò cum Vasquez cap. 4. num. 20. delectationem illam, quam habent beati de Deo, præsupponere, non solum cognitionem, seu visionem Dei, sed etiam cognitionem hujus visionis.

V. Contingere posse videtur, ut beatus aliquis in Deum solo amore amicitia feratur.

Secundò tamen respondeo cum Suario citato & Vasquez num. 20. & 37. visionem esse virtuali saltem aliquâ ratione reflexivam supra se. Directè ergo fertur visio beatifica in Deum, indirectè & virtuali quadam reflexione in se: imò hoc putant aliqui competere omni omnino actui vitali, quatenus vitaliter afficit subjectum; sic enim, inquit, vitaliter seipso percipitur indirectè, percipiendo scilicet principaliter objectum directum. Non tamen est objectum delectationis præcisè in quantum est representatio & propositio objecti, ut rectè notat Vasquez citatus, sed in quantum est illius possessio, & sub hac ratione est visio peculiariter objectum delectationis, quamvis realiter sint idem.

Visio delectat in quantum est Dei possessio.

QUÆRES septimò: quamnam sint in beatis dotes animæ? Variè à variis assignantur: à quibusdam numerantur habitus luminis gloriæ, charitatis &c. ab aliis visio, fruitio & comprehensio, seu tentio: ab aliis demum visio, dilectio, & fruitio seu delectatio, licet sint ipsa substantia beatitudinis, & matrimonii hujus spiritualis inter animam & Deum. Quæstio est parvi momenti, & fermè de nomine: nec refert quo quis modo hæc in re loquatur. Qui tamen dotes hæc constituunt in habitibus, propius ad veritatem accedunt & conformius loquuntur ad naturam dotis: dos quippe, non actualem rei alicujus usum significat, sed utendi potestatem.

I. Dotes animæ in beatis dicitur simodè à variis enumerantur.

Dotes ista melius in habitibus, quam in actibus constituntur.

Quoad gloriam corporis (licet ad veram & essentialem beatitudinem corpus non sit necessarium, cum Angeli, & animæ à corporibus separata verè jam sint beata) dotes corporis gloriosi quatuor numerantur: Claritas, Agilitas, Subtilitas & Impassibilitas. Claritas est lux corpori inhærens, vel in superficie tantum extinâ, ut vult Scotus, vel etiam in toto, ita ut illud reddat usquequaque diaphanum & transparentem, ut docet Suarez, & insinuare videtur S. Thomas, & alii ex Sanctis Patribus. Hanc verò lucem puto cum eodem Suarez, esse speciem à nostrâ distinctam, non tamen supernaturalem, ut vult Salas & alii nonnulli.

II. Corporis gloriosi dotes sunt quatuor: Claritas, Agilitas, Subtilitas, Impassibilitas.

Agilitas est intrinseca vis nativa animæ movendi corpus, vel gravitate illius, vel actuali saltem gravitatione sublatâ, & excellenti quadam dispositione in corpus ductâ: quibus positis summâ illud celeritate movere potest anima, & ab uno in alium locum remotum velocissimè transferre. Ad hoc tamen munus non improbabiler addi posset peculiaris assistentia Dei. Sicut ponunt communiter auctores, in subtilitate quæ est tertia ex dotibus, & consistit in aptitudine, seu vi penetrativâ, cum aliis corporibus, etiam non glorificatis.

III. In quo sit à se dos agilitatis.

quid sit subtilitas.

Quarta demum est Impassibilitas, quæ in nobili quodam temperamento certarum qualitatum sita est, quas Deus qualitatibus elementaribus adjungit, per quod temperamentum, beati corpus incipax redditur corruptionis omnis vel alterationis nocivæ, tum ab intrinseco, tum extrinseco, ita nimirum ut non egeat cibo, somno, respiratione & aliis ad vitam mortalis corporis sustentandam necessariis. In hac tamen dote à quibusdam recurritur ad assistentiam extrinsecam Dei, eum inquit salvari omnia vix possint per qualitates intrinsecas. Hæc tamen assistentia tam hæc, quam in aliis dotibus, non est merè gratuita, sed connaturaliter, & jure meritorum illi statui debita. Ut autem loqui possint beati, ponunt aliqui donum penetrationis in aère purissimo, in eorum pulmonibus incluso. Non tamen video cur in loco aliquo, aère, seu corpore liquido repleto habitare nequeant, per quod nonnulli, aquas quæ super cælos sunt, intelligi posse affirmant.

IV. Declaratur in quo consistat dos impassibilitatis.

Impassibilitatem multum partem statum in partem salvari omnia vix possint per qualitates intrinsecas.

Quomodo loquantur beati.

QUÆRES ultimò: utrum Sanctorum Beatitudo futura sit perpetua? Error fuit Origenis, ut refert S. Augustinus hæresi 43. ubi addit neminem hæc in te posse Origenem excusare, qui docebat hanc beatitudinem.

V. Error Origenis circa perpetuitatem beatitudinis.

beatitudinem non fore perpetuam, sed quandam in beatis vicissitudinem futuram felicitatis & miserie. Sed hic est error manifestus contra fidem, cum in Symbolo & Scripturâ sæpè appelletur vita æterna de qua dicit Apóstolus 1. ad Thessal. 4. v. 16. Sic semper cum Domino erimus: & 1. Petri 1. v. 4. hereditas incorruptibilis, immarcescibilis &c. & cap. 5. v. 4. immarcescibilis gloria coronæ: & alia huiusmodi.

Certum est Sanctorum beatitudinē futuram perpetuam.

SECTIO QUINTA.

Utrum beati ex vi visionis reddantur impeccabiles.

I. Dico ex vi visionis, nam ratione amoris erga Deum in beatis, necessariò ex visione orti, reddi eos impeccabiles ostensum est supra. Deinde à fortiori sequitur, estque omnino certissimum beatos de facto nunquam peccatum ullum admitturos: in quo erravit etiam Origenes, qui beatorum voluntates de bono in malum mutabiles esse dixit: quare & Sanctos Angelos nonnunquam negligentes esse asseruit, & in suis ministeriis obcundis culpam interdum incurere.

I. Sanctos Angelos culpam aliquam interdum admittere docuit Origenes.

II. Prima Conclusio: stante visione, non potest beatus, saltem connaturaliter, & de potentiâ ordinariâ peccare: ita S. Thomas 1. 2. quæst. 4. art. 4. Cajetanus itidem, Suarez 1. 2. Disp. 10. sect. 1. num. 16. Vasquez disp. 18. cap. 2. & alii. Conclusio procedit ex vi visionis præcisè, & posito quòd Deus miraculosè negaret concursum ad amorem.

II. Stante visione non potest beatus peccare.

III. Ratio est primò: nam ut benè Suarez citatus, quisquis clarè videt Deum, & iudicat illi debitum esse, ut omnia ad eum referantur, sanè non apparet quo pacto ab eo possit per peccatum averti, seu actu illum offendere, cum hoc intelligi vix queat, in eo, qui id iudicat solummodo abstractivè, & licèt clarè Deum non videat: sicut ergo per visionem beatificam voluntas est inclinata ac determinata ad amandum Deum, ita & ad fugiendum quidquid illi videt displicere, idque immediatè, & non solum mediante amore formali, licèt fortè visio dici non incongruè posset amor virtualis.

III. Ostanditur ex vi visionis præcisè beatos reddi impeccabiles.

IV. Ratio est secundò: visio siquidem beatifica, vel est ipsa beatitudo formalis adæquatè, sicque videtur manifestè impossibilis cum peccato, cum implicet contradictionem, ut simul quis sit summè lælix & summè miser, ut ex terminis constat: vel saltem visio est partialis beatitudo integrans scilicet unam totalem beatitudinem cum amore, eumque causans, sicque saltem in radice est beatitudo, seu illam ut completam exigens; omnino autem videtur implicare ut connaturaliter & formaliter exigat subiectum esse beatum, & simul connaturaliter admittat peccatum, quod est summa miseria, & beatitudini maximè oppositum.

IV. Vtèrius declaratur quo pacto visio beatifica, saltem connaturaliter excludat peccatū.

V. Ratio est tertio: visio quippe secundum probabilem sententiam est forma sanctificans perfectissimè post unionem hypostaticam, reddens nimirum subiectum in quo est, peculiari & perfecto modo particeps naturæ divinæ: unde si ulli qualitati concedendum sit, ut animam sanctificet, pugnet cum peccato, & alia huiusmodi (concedendum autem hoc alicui videtur, cum peccatum formaliter & per se reddat hominem injustum) sanè non est cur non concedatur visioni beatificæ, ut pote accidentia omnia supernaturalia in perfectione superanti, & ad quam tanquã ad finem ordinantur.

V. Ex ratione forma perfectissimè sanctificans ostenditur visionem excludere peccatum.

Hæ etiam rationes probant de peccato veniali, quod proinde visio connaturaliter excludit. Alia etiam ratio, cur visio beatifica excludat peccatum veniale, est quia status beatitudinis est status bonorum omnium complexione perfectus, & mala omnia excludens: unde sicut morbos corporis secum non compatitur, ita multò minus morbos animæ, quorum minimus non est peccatum veniale.

VI. Visio beata excludit etiam peccatum veniale.

Secunda Conclusio: probabilis etiam est si gratia habitualis nec divinitus stare possit cum peccato, vel actuali vel habituali (de quo infra, Disputatione 123.) non posse nec de potentiâ absoluta visionem stare cum peccato. Rationes eadem sunt pro visione & pro gratiâ, quæ proinde illic, qui proprius ejus locus est, proponi solent. Præcipuæ sunt ex conceptu sanctitatis, & locutionibus Scripturæ & Patrum. Addunt verò aliqui, & probabiliter, majorem esse rationem cur hoc visioni tribuatur, quam gratiæ, cum perfectius & indefectibiliter (quippè quæ ex naturâ suâ perpetuò postulet durare, quod gratiæ habituali non competit) sanctificet.

VII. Visio nec de potentiâ absoluta stare potest cum peccato.

SECTIO SEXTA.

Posintne beati peccare demerendo visionem beatificam.

Postremum quod hic queri solet circa potentiam peccandi in beato est, utrum saltem peccare possit demerendo visionem beatificam: sicut licèt gratia habitualis incompossibilis sit cum peccato mortali, etiam divinitus juxta probabilem sententiam, potest tamen justus peccare, & gratiam per demeritum perdere. Hac verò in re eodem ferè modo procedere possumus sicut in materiâ de Incarnatione in simili processum circa unionem hypostaticam, quam diximus non posse humanitatem demereri, nec dissolvere per peccatum, pro aliquo priori commissum, licèt vel concomitantè vel consequenter peccare possit humanitas, quocumque instanti Deus per se, seu pro suâ voluntate, sicut potest, illam à verbo deuniret.

I. Nec etiam potest beatus peccatum aliquod admittere demerendo unquam.

Dices: potest Deus intuitu actus meritorii à Petro in instanti A elicitè visionem illi beatificam eodem instanti infundere, ergo pro illo priori nihil intelligitur vel peccato repugnans, vel peccandi potentia, ergo simul cum visione beatâ, seu beatitudine stat potentia peccandi, ergo potest beatus peccare, cum posse peccare, & habere potentiam peccandi sint synonyma. Primò negari posset primum antecedens, & dici peculiarem esse rationem de merito respectu visionis, quæ non sit respectu aliarum rerum, visio siquidem est beatitudo, sicque ipso facto quòd quis habeat visionem, est in termino; cum ergo status viæ sit conditio requisita ad meritum, non videtur dari posse meritum eo instanti, quo est visio, cum ejusmodi opus non sit factum in stadio, in loco agonis & pugnæ &c. Hæc responsio licèt sit probabilis, existimo tamen non difficulter refelli posse.

II. Dicitur: cum visione beatâ sit potentia merendi; ergo peccandi.

Secundò itaque responderi posset, ad potentiam peccandi requiri, non præcisionem solum, sed negationem etiam visionis: Unde licèt proponi possit visio pro præmio actus liberi & meritorii, non tamen talis actus ejus contrarium, seu omisio est peccatum, ut de unionem hypostaticâ dixi dum de Incarnatione. Quare etsi possit is illo instanti mereri, non tamen potest peccare.

Negari potest potentiam merendi perri unquam cum visione.

III. Ad potentiâ peccandi requiritur negatio visionis.

Tertia

IV. Tertia responsio est quam in simili adhibui de Incarnatione, admittendo scilicet posse proponi visionem in instanti aliquo conferendam ob actum pro illo etiam instanti præceptum, seu cuius oppositum vel omisio esset peccatum, sicque beatum primo instanti quo habet beatitudinem, posse pro aliquo priori naturæ & rationis peccare, non tamen ullo ex sequentibus instantibus post visionem semel habitam.

V. Quod sic declaratur: in primo illo instanti quo simul elicitur actus liber, & infunditur visio, subiectum pro aliquo priori erat indifferens ad habendam, vel non habendam visionem, nullo autem ex sequentibus instantibus post primam visionis infusionem datur huiusmodi indifferencia; cum enim visio sit naturâ suâ incorruptibilis, ut Patres omnes & Theologi affirmant, licet illo instanti, quo primò producitur potuisset non produci, planèque esset indifferens ad esse & non esse, posito tamen quod semel produceretur, petit connaturaliter, pro quovis instanti conservari: unde & antecederet singulis instantibus pro aliquo priori determinat Deum ad concursum negandum ad actum peccaminosum, vel aliud quodecumque impossibile cum visione, nisi Deus contra naturalem exigentiam visionis, illam per absolutam suam potentiam destrueret, tunc enim posset concursum ad illa hoc instanti præbere.

VI. Exemplo res fiet clarior: posito secundum probabilem sententiam quod materia cæli sit ejusdem rationis cum nostrâ, & capax formarum, etiam corruptibilium: licet pro primo instanti materia illa ad corruptibilem juxta & incorruptibilem formam sit indifferens, & quasi primo capientis, ubi tamen semel inducta est forma incorruptibilis, non est materia indifferens, pro ullo instanti sequente ad formam corruptibilem, nec ad ullum accidens, quod disponere posset ad formæ cæli expulsionem: sicut enim quia quod petit finem petit media ad finem, subiectum quod petit formam, petit dispositiones ad formam illam requisitas; ita quod petit negationem talis formæ, petit similiter negationes dispositionum ad illam, forma autem cæli utpote incorruptibilis, posito quod semel occupet materiam, petit naturaliter illam semper occupare, & consequenter sicut petit ut ipsa semper illi insit, ita petit ut in eadem semper sint negationes omnium aliarum formarum: idem ergo est in præsentia.

VII. Dices: hoc ad summum probat beatum aliquem naturaliter, seu de potentia ordinariâ peccare non posse, & per peccatum demereri beatitudinem; hoc enim & nihil aliud probare videtur exemplum formæ cæli. Respondeo negando antecedens, idem namque est naturaliter & supernaturaliter expelli beatitudinem non posse per peccatum, ubi enim peccatum naturaliter committi non potest, nec potest committi supernaturaliter, cum Deus peculiarem, & homini aliâs indebitum concursum præbere nequeat, merè ut hic peccet, ubi aliâs peccare non potuisset.

VIII. Confirmatur hoc idem: ponamus peccatum esse quid merè ab extrinseco inducendum, sanè in eo casu non posset Deus peculiariter illud infundere secundum omnes, cum esset specialis illius causa & auctor: sicut namque communiter dici solet, non posse Deum infundere habitum erroris, à fortiore non posset infundere peccatum, quod multo pejus est habitu erroris, longèque magis Deum dedecet. Ad peccatum ergo concurrere non potest Deus, nisi causâ secundâ concursum exigente, & ad illum præbendum, Deum veluti necessitante; à

fortiori ergo non potest Deus ad illud concurrere, ubi cause secundæ expressè exigunt contrarium, ut hic contingit. Quare sicut non potest ignis, aut aliud agens naturale nisi miraculosè & peculiariter adjutum à Deo formam suam nunc in materiam cæli inducere, ita nec agens rationale peccatum in subiectum, in quo est visio beatifica. Unde si Deus hunc concursum, ei indebitum beato præberet, esset specialis causa & auctor peccati, quod citra ingentem temeritatem de Deo cogitare nemo potest.

SECTIO SEPTIMA.

Alia quadam ad completam Beatitudinis cognitionem necessaria.

DIXIMUS supra visionem beatificam perpetuò duraturam: nunc ergo ulterius inquirimus, utrùm hoc ex naturâ suâ habeat, an merè quia eam Deus perpetuò vult conservare, cum tamen suapte naturâ sit defectibilis. Inprimis si daretur visio, quæ supra se & suam durationem reflecteret, seu quæ videret se perpetuò duraturam, hæc inquam visio essentialiter peteret semper durare, nec destrui posset, etiam divinitus; cum enim sit essentialiter vera, & videat se æternum duraturam, æternum duret necesse est: hoc autem non haberet quâ visio præcisè, sed quâ talis visio.

I. Sine visio naturâ suâ indefectibilis.

Quadam visio per se essentialiter semper durare.

Visio autem beatifica supra suam durationem non reflectens, destrui quovis instanti post primam productionem divinitus potest: connaturaliter tamen semper durare postulat, nec nisi vi ei illatâ potest destrui. Ratio est: cum enim varia accidentia, visione beatificâ multo imperfectiora, ut quantitatem & potentias, intellectum scilicet & voluntatem, si ab animâ distinguantur, videamus habere perpetuitatem, potiore longè jure hoc de visione dixerimus, præsertim cum nullum in eâ videamus corruptibilitatis vestigium.

II. Visio beatifica sanctiâ petit connaturaliter semper durare.

Disputant hæc aliqui, utrùm si Essentia divina videretur sine Relationibus, vel una persona sine aliâ, num visio hæc foret beatifica. Hanc questionem proposui supra, Disp. 19. sect. 5. ubi respondi negativè. Videantur ibi dicta.

III. Si sola Essentia divina videretur non esset visio illa beatifica.

Quæres, utrùm visio beatis omnium rerum asferat satietatem. Certum videtur visionem per se immediatè & formaliter huiusmodi satietatem non asferre; visio namque, aut etiam amor beatificus eam subsequens, sensuum omnium corporis in se bona formaliter non continet: nam unâ cum visione consistere possunt, tum in corpore tum animo dolores, ut in Christo contigisse vidimus. Deinde gloria corporis, societas etiam & consortium amicorum, & id genus alia, sunt bona & appetibilia; hæc autem per se formaliter visio non confort.

IV. Utrum visio per se rerum omnium satietatè beatu asferat.

Imò ulterius, quamvis visio radicaliter beatum, cui inest, satiet quoad omnia quæ absolutè desiderat; quo sensu Plal. 16. v. 17. dicitur: Satiabor cum apparuerit gloria tua: existimo nihilominus beatos multa conditionatè, & inefficaciter, atque cum plenâ ad Dei voluntatem resignatione (ex quo provenit, ut licet ea non obtineant, nihil tamen inde creetur iis molestiâ) desiderare, ut amicorum salutem, reunionem cum corpore, &c. quæ nihilominus non semper obtinent. Optant etiam se tam bonum Deum nunquam offendisse, diligentiùs ei in hac vitâ servivisse, & huiusmodi. Neque hi actus inefficaces statum illum beatitudinis ullo modo dedecent, cum & in Deum, &

V. Visio satiat quoad omnia desideria absoluta, non quoad conditionatâ.

Desideria conditionatâ statum beatitudinis non dedecent.

Quod petit finem, petit media ad obtinendum finem.

Non naturaliter tantum, sed nec de potentia absolutâ potest beatitudo tolli per peccatum.

Si peccatum esset quid extrinsecum, non posset à Deo infundari ergo nec ab eo tam specialiter concursu produci.

Deus ad peccatum concurrere nequit, nisi causâ secundâ concursum illum exigente.

beatitudinis omnis ac felicitatis fontem cadant, vult enim omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, qui tamen nec salvantur omnes, nec ad veritatis agnitionem perveniunt.

SECTIO OCTAVA.

De Aureolis.

I. In gloria tu essentiali, tum accidentali differunt inter se Sancti.

STELLA à stellâ differt in claritate: sic & resurrectio mortuorum, inquit Apostolus 1. ad Corinthios, cap. 15. v. 41. Hoc de Beatitudine essentiali, hoc de accidentali verum habet; in visione enim, quæ est Beatitudo essentialis, aliisque eam consequentibus, non minus inter se inæquales sunt Sancti, quàm stellæ in luce. Cùm ergo de utraque hac beatitudine multa jam dixerimus, solum restat, ut aliquid subjungamus de Aureolis.

II. Quid Aureolarum nomine denotetur.

Cur tres peculiariter statuuntur aureola.

Aureolæ, vel Laureolæ præmia accidentalia sunt, & diverse in diversis Beatitudinis indicia seu tessera, ac certis quibusdam Sanctorum generibus peculiariter convenientia. Tres communiter à Theologis numerantur Aureolæ, Martyrum, Virginum, & Doctorum, quod nimirum hæ tres Sanctorum classes, tres humani generis hostes peculiariter superent, Virgines carnem, Martyres mundum, Doctores dæmonem, utpote qui doctrinâ suâ, & monitis gregem Christi instruant, & à dæmonis insidiis defendunt.

III. Quinam nomine Doctorum hoc loco intelligantur.

Nomine autem Doctorum hoc loco non intelliguntur illi, qui in sæcularibus scientiis versantur, ut Philosophiâ, Medicinâ, Jure civili &c. Quantumvis in his excellant, & in aliis instruendis elaborent; sed qui sacras tradunt disciplinas, ut sunt Theologi, Sacrarum Literarum interpretes, & similes, quibus meritò quis adjunxerit concionatores. His etiam addendos censo confessarios, utpote qui consilio, adhortationibus, & præceptis homines à peccatis avertunt, & ad omnem honestatem, virtutisque exercitationem informant, summoque boni, tum privati, tum publici commo, operam suam in Ecclesiâ collocant. Ad hoc verò ut quis Doctoris lauream in cælo consequatur, sicut non requiritur, ita nec sufficit quòd in scientiis, etiam sacris, Theologiâ exempli causâ, ad Doctoris gradum sit evehctus, nisi actu alios doceat; illis enim solis promittitur fore, ut sicut stella fulgeant in perpetuas æternitates, qui ad justitiam erudiunt multos.

Ad Doctoris laureolam requiritur, ut quis actus docuerit.

IV. Martyres, qui censentur in ordine ad obtinendam lauream.

Martyrum nomine hic significantur illi omnes, qui pro fide, aut virtute aliquâ defendenda mortem oppetierunt, vel qui tormentum ad necem iis inferendam sufficiens sustinuerunt, aut quibus ejusmodi insiditum est vulnus, ex quo mors sequi soleat, quamvis præter rerum naturalium exigentiam, Deus eos ab interitu liberaverit: quod non semel Sanctis contigisse audivimus.

V. Quid ad Virginitatis lauream obtinendam requiritur.

Virgines hic, juxta communem Theologorum opinionem, censentur, qui per plene voluntariam, vel copulam, vel seminis effusionem licitam aut illicitam, hanc virginitatis gemmam non amiserunt: si autem ista cuiquam involuntariè, quo id cunq; modo accideret, evenirent, laureolam propterea non amitteret. Veteris etiam testamenti virginibus hanc lauream concedendam existimo, quamvis nonnullos videam in contrariâ esse sententiâ. Angelis Virginitatis laureola non competit.

VI. Necessarium est ser vanda

Ad virginitatis tamen lauream ab hominibus obtinendam, præter carnis integritatem requiritur

propositum puritatem corporis ad finem usque vitæ illam conservandi. Licet autem hoc propositum, vel aliquando non habuerint nonnulli, vel etiam interruperint, si nihilominus manente corporis integritate, illud renouent, & in eo moriantur, Virginitatis laureolam non amittent: Virginitas quippe mentis amissa reparari potest, quamvis reparari nequeat Virginitas corporis. Unde, ut cum S. Thoma affirmant communiter Theologi, infantes, ante usum rationis, & consequenter sine proposito conservandæ Virginitatis ex hac vitâ decedentes, licet si aureola latè accipiatur, pro peculiari scilicet gaudio de incorruptione corporis conservatâ dici aliquo modo possint habere Virginitatis laureolam, propriam tamen & perfectam illius laureolam non consequuntur.

Virginitatis propositum.

Qualiter decedens ante usum rationis habeat Virginitatis aureolam.

Quæres, utrum beatissima Virgo laureolam habeat Virginitatis? Negant aliqui, quòd nimirum nullam carnis rebellionem fenserit, sicque Virginitatem sine difficultate conservaverit. Pars tamen affirmativa cum S. Thoma & aliis est tenenda. Ad id verò quod opponeretur respondet S. Thomas, quamvis Sanctissima Virgo tentationes à carne, seu intrinsecas, nullas habuerit, habuisse nihilominus eam tentationes ab extrinseco, seu à dæmone sibi immisissas, utpote qui, nec ipsum quidem Christum reveritus fuit. Imò existimo gloriosissimam hanc Virginem, laureolam Virginitatis habere longè perfectissimam: etsi namque primi generis contra castitatem tentationibus caruerit, feruentissimis tamen à primo conceptionis instanti ad finem usque vitæ, conservandæ Virginitatis actibus, iisque voto firmatis, peculiarem illam laudem ex tentationum illarum victoriâ procedentem compensavit. Unde ab Ecclesiâ titulus ei Virgo Virgiman, quasi Virginitatis gloriâ inter omnes longissimo intervallo præcellenti tribuitur: de qua proinde dici non inconcinne potest:

VII. Virgo Mater perfectissimam habet Virginitatis aureolam.

Virginitatis Ecclesiâ appellatur Virgo virgim.

Micat inter omnes Virginis sidus, velut inter ignes Luna minores.

Quæres, quidnam sint hæ laureolæ, quas Sanctos in cælo habituros asserimus? Quoad Martyres, S. Augustinus lib. 22. de Civit. Dei, cap. 20. ait, sicut in Christo sacra illa stigmata, acerbissimæ, quam pro nobis perpassus est, mortis indicia permanserunt, ita in Martyribus cicatrices, & vulnorum mansura vestigia, mortis quam ipsi pro Christo, justitiâ ac virtute subierunt, tessera. Sed quia multi sine ullis insiditæ vulneribus, aut sanguinis effusione mortem oppetierunt, ut qui fuerunt submersi, alia necessariò Martyribus assignanda laureola.

VIII. In quo sint sint hæ Sancti in laureola.

Martem in Martyribus cicatrices.

Dicendum itaque laureolæ hæc omnes, tam Martyribus, quàm Virginibus, ac Doctoribus competentes, vel in eximo aliquo dono spirituali consistere, eorum animabus infuso, diverso tamen pro diversa singulorum qualitate ac statu, ita ut eo conspecto, statim dignoscatur, Martyr sit, Doctor an Virgo: vel in speciali quodam gaudio accidentali: vel denique in diademate, aut re aliâ hujusmodi, ex pretiosissimis gemmis confectâ, quæ peculiarem cujusque gradum, dignitatem, & excellentiam inventibus demonstret.

IX. Aureola, vel spiritalis est possessio, vel materialis.

Quamvis verò tribus tantum hisce Sanctorum generibus Aureolæ à Theologis communiter tribuantur: nonnulli tamen aliis etiam quibusdam, & imprimis Religiosis, iisque præterea qui in particulari aliquâ virtute, ut oratione, humilitate, vel jejunio excelluerunt, singularemque in his, aut aliis virtutibus laudem sunt adepti, iis, inquam, laureolam,

X. Aliis etiam quibusdam Sanctis tribuuntur Aureola.

Jaureolam, seu peculiarem harum rerum tesseram in caelo concedendam arbitrantur.

SECTIO NONA.

De beatitudine via.

I. Nihil apud Patres, nihil in divinis literis frequentius, quam ut homines aliqui, etiam in hac vita, appellentur beati: sic Psal. I. v. I. dicitur, Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, &c. Psal. 118. v. I. Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Item Matth. 5. v. 3. Beati pauperes spiritu: Beati mites: Beati qui lugent, &c. His autem, & aliis Scripturae locis, de beatitudine hujus vitae sermonem esse certum est.

II. Haec porro praesentis vitae beatitudo est duplex, supernaturalis, & naturalis; neutra quidem perfecta (hic enim nihil ex omni parte beatum) sed variis imperfectionibus & miseris, quibus obnoxia est mortalium conditio, permixta. De utraque hac Beatitudine quaedam obiter sunt dicenda.

III. Supernaturalis itaque beatitudo viae, quae est quaedam participatio beatitudinis caelestis, in iis actibus consistit, quibus viatores ad comprehensionem, seu felicissimum illum beatorum in caelo statum tendunt. Gratia quippe, cum sit semen gloriae, est quaedam inchoata beatitudo, actusque illi omnes, qui ad ejus infusionem & augmentum conferunt, beatitudinem viae quodammodo constituunt. Praecipue tamen haec viae beatitudo in actibus Fidei, Spei, & Charitatis sita est, utpote qui circa Deum, beatitudinem objectivam, immediate versantur, eumque, quantum viatoribus fas est, tenent, & quodammodo possident. Hinc Beatitudo haec supernaturalis viae à S. Thoma, & Theologis appellatur Beatitudo spei: ex actibus namque hae Theologicis certa spes nascitur fore, ut quem hic obsecrè cognoscunt, & imperfectè tantum diligunt, clarè aliquando videant, & perfectissimo ex hac visione orto amore aeternum prosequantur.

IV. Circa naturalem viae beatitudinem, Vasquez primà parte, Disputat. centesima vigesima-sexta, cap. 2. & hic Disputat. duodecima, ait, nihil neque in hominibus, neque in Angelis dari naturale, quod beatitudinis nomen mereatur, cum nihil naturale sit, cui coexistere in eadem persona nequeat peccatum mortale, summa miseria: in hujusmodi autem peccata homines & Angeli, sibi relicti, sepius absque dubio inciderent: ergo nulla datur naturalis beatitudo viae.

V. Communis tamen Theologorum sententia cum S. Thoma I. p. q. 62. art. 1. affirmat, dari finem aliquem tam Angelis, quam hominibus à natura praestitutum, ac proinde naturae limites non excedentem. Probatur: sicut enim res irrationales locom seu finem aliquem habent, ad quem suo pte nutu unaquaque tendit, eoque obtento conquiescit: ita recta ratio postulat, ut natura etiam rationalis habeat suum, cum non minus ordinatè esse debeant res rationales, quam irrationales. Hic vero finis nequit esse quid supernaturalis, nihil quippe supernaturale petere natura potest, nec ad illud ordinari, cum, ut ipsum supernaturalis nomen sonat, sit aliquid naturae vires excedens, & consequenter ejusmodi, quod natura intra naturam manens adipisci nequit, hic ergo finis non est aliquid supernaturale, nihil enim tendit ad impossibile.

Dices: Deus homines & Angelos, totamque adeo naturam rationalem exivit ad finem supernaturalem, naturali multò potiore: quid ergo opus alio fine; per hunc enim & providentiae divinae, & creaturae rationalis exigentiae, abundè videtur satisfactum. Sed contra: elevatio siquidem ad finem supernaturalem est naturae rationali omnino indebita; unde Deus, nullà vi vel homini vel Angelo illatà, potuisset eos ad hunc finem non elevalle, sed intra naturae limites reliquisse.

Praeter hunc ergo finem, Beatitudinem nimirum supernaturalem, alius esse debet iis à natura constitutus finis, beatitudo scilicet naturalis, quem in statu illo purae naturae prosequi debuissent, & consequenter potuissent obtinere. Hunc autem finem non tollit evectio ad finem supernaturalem, gratia enim non destruit, sed perficit naturam. Accedit, antiquos Philosophos, quamvis in quo hic finis, seu Beatitudo consistat, inter se discrepaverint, in eo tamen ad unum omnes, vel ipso naturae lumine conspirasse, aliquem scilicet dari finem ultimum, quo collineare cuncti debeant, eumque obtinere totis viribus contendant: qua de re suas etiam disputationes instituerunt.

VI. Supernaturalis finis non destruit naturalem. Beatitudo supernaturalis homini & Angelo plane est indebita. VII.

Beatitudinem naturalem agno. Verunt omnes Philosophi.

SECTIO DECIMA.

Satisfit difficultatibus circa beatitudinem viae: & beatitudo purae naturae declaratur.

AD illud itaque, quod num. 4. opponebat Vasquez, posse scilicet naturalem hanc viae beatitudinem cum peccato mortali, & aliis hujus vitae miseris consistere, solum arguit illam vocandam esse beatitudinem imperfectam, ut eam appellat Aristoteles I. Ethic. cap. 10. & S. Thomas I. 2. quaest. 3. art. 2. ad quartum, & art. 6. Corpore, & alibi.

Nec etiam urget quod objicit idem Vasquez, ideo scilicet dari non posse beatitudinem naturalem, quia actus nostri, in quibus statui deberet, sunt exiguae durationis, & crebro ac facile interrumpuntur; cum tamen beatitudo, diuturna esse debeat, imò perpetua. Sed contra: hoc enim similiter probaret nullam in hac vita dari beatitudinem supernaturalem, cum actus supernaturales non minus frequenter & facile interrumpantur, quam naturales. Respondetur itaque cum S. Thoma I. 2. q. 3. art. 2. ad 4. hoc solum probare omnem, quam in hac vita habemus beatitudinem, non esse usquequaque perfectam: In praesenti vita, inquit Sanctus Doctor, quantum deficiamus ab unitate & continuitate talis operationis, tantum deficiamus à beatitudinis perfectione. Est tamen aliqua participatio beatitudinis, &c.

Siquis verò querat in quo naturalis haec viae beatitudo consistat: dico beatitudinem objectivam nec esse honores, nec voluptates, nec divitias, nec aliud quidquam creatum, sed solum Deum, ut Disp. praecedente dixi sect. 2. & fusè ostendi in Prometheo Christiano, Disp. 7. & decimà.

Quemadmodum autem Beatitudo patris in clarà Dei, beatitudinis objectiva, visione, & beatitudo supernaturalis viae in ejusdem cognitione obscurà supernaturali, & aliis actibus eam sequentibus. juxta supra dicta, sita est: ita Beatitudo naturalis viae in naturali & abstractivà Dei contemplatione

I. Beatitudo naturalis est imperfecta. II. Quod actus nostri viae exiguae durationis, & crebro ac facile interrumpuntur, non arguit nullam dari beatitudinem naturalem.

S. Thomas.

III. Beatitudo viae objectiva.

IV. Beatitudo formalis viae.

In actibus Fidei, Spei, & Charitatis praecipue sita est haec Beatitudo.

Apponitur quaedam circa naturalem beatitudinem.

Datur aliqua naturalis beatitudo viae.

Probatur dari hujusmodi finem naturalem.

platione consistit, simul cum amore & aliis affectibus ex hac contemplatione procedentibus.

V. Tandem si ulterius quispiam inquirat, in quo beatitudo finalis hominis in puris, ut aiunt, naturalibus constituti, seu casu quo ad finem supernaturalem non fuisset euectus, consistat, si sine peccato gravi moreretur, ut infantibus in illo statu contingeret, qui ab omni, etiam originali peccato immunes, ex hac vitâ decederent: inprimis dico hanc beatitudinem in clarâ naturali, abstractiva tamen Dei cognitione, seu contemplatione positam esse, simul cum tanti boni amore, & gaudio

de hac ejus adeptione, quæ inter merè naturales est optima: Deo præsertim res ita disponente, ut qui hoc modo sine peccato moriuntur, nunquam amplius peccent, saltem mortaliter. Omni etiam pœna animæ illæ carerent, bonisque omnibus, quæ secundum rectam rationem desiderare possent, affluerent, idque in perpetuum. Hæc, salvo meliore iudicio, dici mihi posse videntur; quamvis nihil certò statuere velim, cum hîc conjecturis tantum agatur, & qua quis isthæc facilitate affirmat, eadem alius negare possit.

Finis Disputationum de Beatitudine.

